



**R.P. Ioannis De Lvgo Hispalensis, É Societate Iesv, Jn
Collegio Romano Eivsdem Societatis Olim Theologiae
Professoris, nunc S. R. E. Cardinalis, Dispvationes
Scholasticae, & Morales, De virtute, & ...**

Lugo, Juan de

Lvgdvni, 1666

III. An possit Episcopus pro libito reseruare casus absque legitima causa.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82358](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82358)

à quo absoluitur à peccato reservato, licet in casu necessitatis ad communicandum extra mortis articulum debeat alia peccata non reservata cōfiteri inferiori Confessario, qui ab illis directè absoluit, non tamen debere cōfiteri illi actum internum illius peccati reservati: quia, licet voluntas occidendi, v. g. Clericum, non sit reservata secundum se; quando tamen coniungitur cum effectu, & subsequitur actus externus, totum est reservatum, quoad externum, & quoad internum; & neutrum potest directè absolui à Confessario inferiori.

28. *An reservari possit peccatum, etiam quoad absolutionem indirectam.*

Ultimò circa hæc queri potest, an Superior possit ita reservare peccatum aliquod, ut non solum non possit ab inferiori tolli directè, sed neque etiam indirectè, absolviendo directè ab aliis peccatis. Distinguerendum est: nam, si sermo sit de summo Pontifice, negari non debet in eo talis potestas: cum enim ab ipso procedat tota iurisdictio in alios, ipso illam suspensente totaliter in aliquo casu, non possit inferior validè absolvere ab ullo peccato. Loquendo autem de aliis Prælati inferioribus, ipsi non possunt id facere: quia ad minus inferior retinet facultatem absolvendi à venialibus, à quibus, si in casu necessitatis extra mortis articulum directè absolveret, consequenter absolveret indirectè pœnitentem dispositum ab omnibus aliis: non potest enim Prælati inferior auferre iurisditionem ad venialia, cum hanc non ab ipso, sed à Summo Pontifice Sacerdotes omnes accipiant.

29.

An verò possit, saltem Prælati inferior, auferre Confessario facultatem absolvendi directè ab omni alio mortali eum, qui haberet tale peccatum reservatum; rursus distinguendum est: nam respectu habentis solum iurisditionem ab ipso delegatam, valida esset proculdubio talis reservatio: respectu verò habentium iurisditionem ordinariam, quales sunt Parochi, & alij similes; pendet ab illa questione, an nimia, & excessiva casuum reservatio valida sit, de qua nunc dicendum erit.

SECTIO III.

An possit Episcopus pro libito reservare casus absque legitima causa.

30.

Suppono primò, Summum Pontificem validè reservare posse omnes casus, licet illicitè id faceret, quando nimia reservatio esset potius in destructionem, quàm in ædificationem Ecclesiæ: reservatio tamen valeret, quia iurisdictio omnium inferiorum dependet, ut suppono à Summo Pontifice: quare, licet ipse peccaret, non relinquendo ordinem debitum, & potestatem necessariam in inferioribus; validè tamen id faceret. Videatur Suarez in præfati, disp. 29. sect. 4.

Suppono secundo, Episcopum non posse licetè reservare casus, ita ut reservatio esset magis in damnum, quàm in bonum subditorum, quorum saluti consulere debet non solum ex charitate, sed ex obligatione etiam sui officij, atque adeò ex iustitia: esset autem in damnum subditorum, quando propter nimiam, & frequentem reservationem quamplures ob absolutionis difficultatem diu iacerent in statu peccati; & Sacramentorum remediis non uterentur. Difficultas est, an eo casu reservatio non solum esset illicita, sed etiam invalida.

31.

Prima sententia affirmat fore invalidam. Hanc tenet Soto, & Richardus, quos refert, & sequitur Vasquez quæst. 91. art. 3. dub. 4. & alij quos refert, & sequitur etiam Henriquez lib. 6. cap. 14. num. 3. littera P. Nam in Concilio Tridentino sess. 14. c. 7. dicitur, Episcopos reservare posse non in destructionem,

sed in ædificationem. Secunda sententia dicit, peccare quidem Episcopum, reservationem tamen fore validam. Hanc tenet Sylvester, & Henricus, quos refert & sequitur Suarez d. d. a. sect. 4. & alij, quos refert Henriquez dicto num. 3.

In hoc puncto controuersia in ordine ad proximum potest deservire: nam, licet cum prima sententia dicas, reservationem esse invalidam; in praxi tamen non potest moraliter occurrere casus, in quo de reservatione hic, & nunc facta iudicari posset esse invalidam. Si enim compatemus peccata, & casus, quorum absolutionem sibi reservant Summi Pontifices, siue in corpore iuris, siue in Conciliis, siue in Bullis particularibus, absque proportionem excedunt numerum peccatorum, quæ Episcopi sibi nunquam reservant, vel per Confessarium. Si ergo illa non æstimator nimia reservatio respectu Summi Pontificis, non apparet, quomodo possit prædictè iudicari excessiva reservatio aliquorum peccatorum, quæ Episcopus sibi reservet.

Fateor tamen, excessum reservationis non tam ex multitudine casuum reservatorum, quàm ex eorum qualitate pensandum esse. Unde ut reservatio Episcopi censetur nimia, non requiritur quòd plures species peccatorum reservet, quàm Papa: sed attendendum est ad eorum qualitatem. Nam casus Summo Pontifici reservati, committunt loquendo, sunt rari contingentes, & vix in mille pœnitentibus inuenies unum, qui in eis odi peccata incidit. Unde, si Episcopus reservaret duo, vel tria genera peccatorum, v. g. actus & verba lascivia, omissionem Missæ in die festo, forum rei grauis; multò grauior esset hæc reservatio, quàm tota reservatio pontificia: quia propter maiorem frequentiam horum peccatorum, multò difficilius redderetur subditis Sacramentum Pœnitentiæ. Sed neque ex reservatione alicuius peccati frequentis posset statim iudicari excessiva reservatio Episcopi, cum videamus reservatam Pontifici quamlibet perculsionem, vel manum violentam in Religiosum, aut Clericum quemlibet iniectam, quod peccatum frequentissimum est. Quare in praxi vix potest moraliter occurrere casus, quo iudicari possit invalida reservatio Episcopi propter casuum multitudinem, aut frequentiam.

Aduertendum etiam est, Auctores primæ sententiæ non loqui de reservatione Episcopi in ordine ad Confessarios, qui solum ex mera eius delegatione iurisditionem habent. Nam in hoc potest nullam dare iurisditionem, sic potestatem pro libito limitare, vel omnino auferre. Sed loquuntur in ordine ad Parochos, qui licet beneficium ab Episcopo accipiant, non tamen possunt pro libito Episcopi sua potestate, & iurisditione privari: quia facta diuisione parochiarum, non potest Episcopus sine Auctoritate Summi Pontificis Parochos amouere, & omnem eorum iurisditionem ad se aduocare. Unde eodem modo dicendum videtur in ordine ad Regulares, quos si Episcopus approbet, iam ij non dependent ab Episcopo, quoad iurisditionem, quam per sua privilegia accipiunt à Summo Pontifice: quare non magis potest Episcopus eam per nimiam reservationem casuum limitare, quàm iurisditionem Parochorum, etiam ubi ex decretis Clementis VIII. Regulares non possunt absoluerè à casibus Episcopo reservatis.

Vnde

35. Vnde idem cum proportionem dicendum est de reservatione facta à Prælati regularibus: nam ij, seclusa prohibitione Clem. VIII. potuissent proculdubio limitare validè iurisdictionem confessariis suorum subditorum, & reservare sibi plura peccata: quia tota iurisdictione illorum Confessariorum erat merè delegata, & dependens ab ipsis Prælati. Non tamen posset Generalis, v.g. vel Provincialis, reservare sibi plura, & plura peccata, limitando facultatem Prælatorum localium: quia hi, licet eligantur à Prælati superioribus, semel tamen electi sunt Parochi suorum subditorum, & non possunt Prælati superiores auferre illum ordinem per Religionis constitutionem stabilitum. Ceterum, de facto Clemens VIII. determinavit, quæ, & qualia peccata possint Prælati regulares reservare ad vitandum excessum omnem, qui in eo genere timeri posset.

36. His suppositis, ad dubium propositum respondere possumus amplectendo primam sententiam, si cum aliqua limitatione explicetur. Puto enim, non omnem reservationem, quæ propter excessum illicitè ab Episcopo fiat, esse eo ipso invalidam, licet de aliqua id concedi possit. Prima pars probatur: quia nullibi inuenio talem iritationem reservationis. Tridentinum etiam d.c. 7. solum dixit: *Quod Episcopi omnibus in sua cuique diocesi, in adificationem tamen, non in destructionem, reservatio licet*: quæ verba non indicant invaliditatem reservationis illicitæ, cum eadem prorsus verba de Summo Pontifice dici possent.

37. Secunda verò pars, quod scilicet, aliqua reservatio posset esse invalida, probari potest ex dictis: quia Episcopus non potest pro libito amovere Parochum à suo officio; sed solum ex causa propter ineptitudinem, vel in penam: ergo nec potest pro libito suo auferre illi iurisdictionem necessariam ad exercendum suum officium. Quare sicut ablatio Parochi sine causa, non solum esset illicita, sed invalida: ita dicendum erit de ablatione iurisdictionis necessariae ad exercendum suum officium: nam auferre talem iurisdictionem, perinde videtur se habere, ac si auferretur officium, cum auferatur id, quod necessarium est ad Parochi officium exercendum: quando ergo reservatio casuum tanta esset, ut moraliter loquendo, videretur non manere ille Parochus simpliciter, quia propter notabilem diminutionem, & limitationem potestatis non videretur iam moraliter idem officium, cum officium Parochi constituatur per potestatem ad tales, & tales actus exercendos; consequens est, ut facta mutatione notabili in eiusmodi potestate, censeretur facta moralis mutatio in ipso officio: quare sicut Episcopus non potest pro libito auferre illud officium; sic nec poterit sine causa illud ita mutare, aut diminuire, ut iam non censeatur moraliter persecutare illud officium, sed aliud diversum.

38. Obiecit Suarez n. 7. quia propter reservationem casuum de novo, ex quibus fit iam nimia, & excessiva reservatio, non redderetur invalida reservatio casuum præcedentium, qui iam antea reservati fuerant. Sed nec fit invalida reservatio casuum sequentium, cum non sit maior ratio de his, quam de illis: nec possit designari numerus casuum, qui validè reservari possunt. Respondeo, non reddi quidem invalidam reservationem antea legitimè factam: quia utile per inutile non vitiatur. Sicut, si aliquis possit commutare decem vota, & iis commutatis, vellet iterum commutare alia decem, priorum commutatio non redderetur invalida per invalidam commutationem posteriorem. Secus esset, si simul commutaret viginti: tunc enim tota commutatio esset invalida, cum excederet facultatem, & non esset maior

ratio de his votis, quam de illis, ut manerent validè commutata. Quod idem dici posset: si unica reservatione Episcopus veller plura peccata reservare ultra mensuram suæ potestatis: tunc enim tota reservatio esset irrita, cum non esset maior ratio de his peccatis, quam de illis, ut reservata manerent. Quod verò ille numerus, qui validè reservari potest, non possit à nobis certò designari: parum refert: quia nec possumus certò designare quantitatem pecuniæ, vel tritici, v.g. cuius furtum sit peccatum mortale. Sufficit ergo, posse scire in consilio aliquem terminum, ad quem non possit licitè, aut validè perveniri, licet non possimus metaphysicè designare terminum, ad quem possit perveniri, & ultra quem non possit progredi. Quoad hoc autem eadem ferè est difficultas, licet dicas, illam reservationem esse validam, sed illicitam: nam eadem interrogatio poterit fieri, an priores reservationes reddantur illicitæ per posteriores, & an quando simul fierent, designari posset numerus casuum, qui licitè possent reservari, & qui non possent.

SECTIO IV.

An, & quomodo Prælati regulares possint reservare peccata.

39. Questio procedit de facto, & de iure novo, iuxta Constitutionem Clementis VIII. datam 26. Maij 1594. qui moderatus fuit potestatem generalem, quæ eadem erat quoad hoc in Prælati regularibus, ac in aliis omnibus: imò quoad aliquid multò maior: nam Episcopi, ut vidimus, licet quoad Confessarios, qui ab ipsis habent delegatam iurisdictionem, possint pro libito reservare casus, & limitare eorum Sacerdotum potestatem: quoad Parochos tamen, qui habent iurisdictionem ordinariam, non possunt pro libito, & sine causa eorum iurisdictionem limitare. At verò Prælati regulares, si de localibus sermo sit, non habent sub se Parochum, qui ex officio habeat iurisdictionem ordinariam ad absolvendos Religiosos: sed dant iurisdictionem delegatam Confessariis ordinariis totius Conventus, quæ cum sit merè delegata, posset à Prælato limitari, pro ut veller. Ceterum, Prælati Provinciales, aut ipse Generalis non possent pro libito reservare sibi casus, à quibus Prælati locales, qui sunt quasi Parochi suorum subditorum, non possent absolvere: sed quoad hoc haberent se, sicut Episcopi in ordine ad Parochos.

40. Verum, quia posset esse periculum, ne Prælati locales excederent in reservandis casibus: prudenter prædictus Pontifex limitavit hanc potestatem designando undecim casus, quos Prælati possent sibi reservare, quos refert Suarez disp. 29. sect. 3. num. 11. non obligans ad illos reservandos, sed permittens Prælati illos reservare. Deinde addidit: *Si quod aliud Clem. VIII. peccatum graue pro religionis conservatione, aut pro conscientia puritate, reservandum videbitur id non aliter fiat, quam Generalis Capituli in toto Ordine, aut Provincialis in provincia, matura discussione, & consensu*. Tertio præcipit, ne liceat Superioribus Regularium confessiones subditorum audire, nisi quando peccatum aliquod reservatum admiserint, aut ipsemet subditi sponte, aut proprio motu id ab eis petierint. Quarto addit, ut Superiores in singulis Dombus deputent duos, tres, vel quatuor Confessarios pro subditorum numero maiori, vel minori: quæ sint docti, prudentes, & charitate præditi, qui à non reservatis eos absoluant, & quibus etiam reservationum absolutio committatur, quando casus occurrerit, in quo eam debere committi ipse in primis Confessarius indicaverit. Quintò declarat, licere quidem Superioribus deter-

minare